

**Disputatio medica inauguralis de appetitu prostrato ... / Eruditorum  
examini submittit Petrus Boeye.**

**Contributors**

Boeye, Petrus.  
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.

**Publication/Creation**

Lugd. Bat : Apud Andream Dykhuysen, [1716]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qr2b3ygr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO  
MEDICA INAUGURALIS  
APPETITU <sup>DE</sup> PROSTRATO,

<sup>2 v a m</sup>  
ANNUENTE DEO OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris*

D. FRANCISCI FABRICII,  
SS. THEOL. DOCT. HUJUSQUE IN ACAD. LUGD.  
BAT. PROFESSORIS, UT ET ECCLESIAE IBIDEM  
PASTORIS.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS Academicī Consensu, & Nobilissime Fa-*  
*cultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè  
ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini submittit*

PETRUS BOEYE, Zierizea-Zelandus.

*Ad diem 13. Julii 1716. horâ locoque solitis.*

FRUCTUS LABORIS GLORIA.



Cuique Suum Studium.

LUGD. BAT. avud ANDREAM DYKHUYSEN

F. Blaeijerck del & sculp.

ANNUAL REPORT OF THE  
NATIONAL BANK OF NEW YORK

**REVERENDIS AC CELEBERRIMIS**

**VIRIS**

**D. JOANNI BOEYE,**

VERBI DIVINI PRÆCONI FIDELISSIMO, FA-  
CUNDISSIMO, IN ECCLESIA, QUÆ, IN PAGO  
VULGO DICTO SONNEMAAR, CHRISTO COL-  
LIGITUR, PATRI OMNI FILIALI AMORE ET  
OBEDIENTIA COLENDO.

**D. LEVINO BOEYE P. F.**

PATRUO, OMNI HONORIS CULTU VENERAN-  
DO, COLENDO.

**D. NICOLAO BOEYE,**

J. U. D. ET IN CURIA BATAVA CAUSARUM  
PATRONO FACUNDISSIMO, PRUDENTISSIMO,  
PATRUO, NUNQUAM SATIS AMANDO.

**D. CORNELIO  
HEYCOOP,**

VERBI DIVINI MINISTRO DIGNISSIMO, FA-  
CUNDISSIMO, IN ECCLESIA, QUÆ IN PAGO,  
QUI VULGO DICITUR BROEK IN WATER-  
LAND, CHRISTO COLLIGITUR, AVUNCULO  
OPTATISSIMO, OB AMICITIÆ ET CONSANGUI-  
NITATIS VINCULUM IN ÆTERNUM COLEN-  
DO, HONORANDO.

A 2

D. LE-

D. LEVINO BOEYE,  
EXSCABINO AÆQUISSIMO ET REI NAVALIS,  
NOMINE COLLEGII ARCHITALASSICI, QUOD  
ZIERIZEÆ EST, PRÆFECTO VIGILANTISSIMO,  
PATRUO MAGNO, OPTIME DE ME MERITO,  
MAGNA REVERENTIA PROSEQUENDO.

NEC NON  
RELIQUIS AMICIS  
ET  
PRÆCEPTORIBUS  
SUMME HONORANDIS SUSCIPIENDISQUE

DISSEMINATIONEM HANC IN-  
AUGURALEM, OMNI, QUA  
PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

P E T R U S B O E Y E .

D I S-



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
APPETITU PROSTRATO.

L. B. S.

**D**onores in Medicina & privilegia ambiens, animum induxi, ex more Academico, dissertationem hanc conscribere, quam Tibi sisto B. L. de Appetitu prostrato. Admodum haec materia mihi visa fuit jucunda simul & utilis. Cum enim nemo medicorum, morbum seu læsam functionem corrigere & curare valeat, quin naturalem functionem probè cognitam habeat: quantoperè non juvat haec cognitio gnarum, cum considerat, quascunque viventium species nutrimento indigere, &, ad certum terminum, incremento; has species in duas dispesci videbit, vegetabilia nempe & animantia:

tia: illa, cum radicibus gaudent matrici terræ infixis, continue hiantibus & promptis ad nutrimentum accipientem, solummodo patiuntur & expectant nutrimentum, quod ab aëris pressione per patentes radicis tubulos sursum evehitur, & per totam plantam datis viis dispescitur. Hæc autem, quæ radices suas intus habent conclusas, aliud quid postulant, id nempe ut materia, unde nutrimentum hauriendum, radicibus afferatur; hinc ergo debet dari locus, in quem illa materia transfertur & aservatur, illum locum, ventriculum & intestina præcipue esse, in quæ radices animalium, vasa lactea, hiant, omnibus notum. Hinc facile quispiam videbit, non posse continuè ingeri novam materiam, vel aliquando abundantiam vel penuriam futuram, adeoque moderatore opus est animantibus, quo indicatur alimenta requiri vel non; illumque moderatorem cum omnibus tum Medicis, tum Philosophis Appetitum vocamus. Quemnam non tangit hujus materiæ utilitas, considerantem tantæ molis esse, ut animale corpus nutriatur, quippe quod utitur vegetabilibus & animalibus aliis suum in nutrimentum, quæ iterum in suas primitias & quasi nutrientem terram debent redigi, ut possint præbere liquida nutrimento idonea. Hæc cum ita sint, ingentem minatur corpori animali ruinam moderatoris hujus vel ablatio vel imminuta actio, quatenus id tollitur, quod necessariò requiritur, ut existat. Hanc materiam ut ordine, quantum possum, concinno contexam, hoc modo procedam, ut primo schema exhibeam, ex datis Anatomicis, quid sit Appetitus naturalis, ut Prostratus Appetitus eo clarus elucescat. Secundo, unde Prostratus Appetitus oriatur, vel oriri possit, examinabo. Tertio, quænam mala producere valeat, cujusque præsa-

sagii esse possit, perpendam. Et tandem, quomodo primitivus hic morbus debellandus sit, demonstrare conabor.

Accipe B. L. Studiorum meorum primitias, quas, sub Divinis Auspiciis, protuli in lucem, ea, qua pars est, benevolentia & favore. *VALE.*

## Caput Primum.

**N**on videtur operæ pretium, ut longis utar ambagibus de Etymologia vocis, adeoque statim accingar ad rem, statuoque Appetitum Prostratum esse imminutum desiderium assūmendorum alimentorum corpori necessariorum.

Adeo cognita est hæc positio, ut verbosior tractatio rem potius obscuram redderet quam elucidaret. At non omnibus æque patet intellectus Appetitus, qua ratione nempe, quibusque Mediis excitetur: Cumque porro nemo facilè morbi nostri naturam perspicere valeat, quin ea, quæ circa Appetitum naturalem consideranda veniunt, cognita habeat, rem paulo altius expectandam aggrediar.

Appetitus igitur naturalis est *idea formata in principio animali*, qua animal (sive rationale sive irrationale) instigatur ad sumenda alimenta, orta motis nervis stomachalibus constrictione ventriculi vacui.

*Est idea, inquam, formata in principio animali.* Scio quidem ideas propriè ad rationalem referri mentem, saltem ad sensorium quoddam commune, quod habetur medium inter mentem interque corpus; sed cum quotidiana suggerat experientia animalia bruta mentis expertia, quæ haud secus appetunt ac homines, sensorium commune statuendum in iis non judico: attamen aliquem dari terminum, in quem excurrunt motiones ab objectis externis in brutis, & a quo agere incipiunt, nimium sumus convicti, quam quod huic veritati calculum apponere negaremus. Cumque hac in re homines & bruta congruant, ideam

am hanc putem formari in principio quodam animali, humanæ menti incomprehensibili.

Habes L. B. rationem, quæ me movet, ut Appetitum vocarem ideam in principio animali. Ast ne ulterius in obscuris morremur; videndum qua de causa, e quibus organis, quaqué ratione excitetur hæc idea, tantummodo vigens in corporis emolumenntum.

*Motis nervis stomachalibus constrictione ventriculi vacui hanc ideam oriri diximus. Hinc facilè percipitur, ventriculum primam, & primariam nostri sensus esse originem; adeoque rerum ordo id exigit, ut leviter, saltem cum Anatomicis, hujus partis perscrutemur compositionem, ne sc. aberremus a naturæ datis.*

Ventriculum illam esse partem corporis, in quam alimenta, in ore morsu & masticatione comminuta & saliva permista, per œsophagum protrusa, recipiuntur, neminem latet. Unicus est in homine (de hominum enim ventriculo h̄c est sermo) situs in epigastrio maxima parte sinistro, statim sub diaphragmate, figura est rotundè oblonga, non dissimili tibiæ utriculari: ad latus dextrum habet hepar, quod ei incumbit; ad sinistrum, lieñem; ipse incumbit pancreati: arterias recipit duas, gastricas dictas, ab arteria cœliaca, dextram sc. & sinistram, quarum sinistra superiori parti ventriculi, dextra ejus fundo prospicit, ad nutriendum stomachum, & seccernendum liquorem gastricum. Porro nervos duos habet insignes a pari octavo seu vago, quod par oritur inter corpora olivaria & pyramidalia a parte superiore medullæ oblongatae, atque excurrens per foramen, formatum ex combinatione ossis occipitis & petrosi, juxta vertebrae colli, usque in cavitatem thoracis, hinc ramulum remittit, recurrentem dictum, qui surculos dimittit ad laryngem & pharyngem. Porro excurrens hoc par in thoracem, exhibet ramulos ad cor & pulmones: dein sub pulmonibus, ad latus œsophagi utrumque pergit, eique continuè prospicit; tenditque tandem ad stomachum, seu orificium superius ventriculi, ibique format plexum, stomachicum dictum, atque exinde uterque hic nervus dispescitur per totum tractum ventriculi, ejusque extremitates (quæ ab Anatomicis papillæ nervaceæ vocantur) conspiciuntur in

in tunica ventriculi nervosa. Tandem constat ventriculus ex quatuor tunicis: Prima & intima dicitur tunica villosa, quæ est valde rugosa, & secundum Cl. *Ruysschii* observationes, constat ex vasculis minutissimis sanguiferis extremis, vel talibus, quæ secernunt liquorem gastricum, hæc enim dicit Epist. 11. de tunica intestinorum villosa, atque ea (ut novimus) continua & eadem est cum ea ventriculi. Secunda est tunica nervosa, in qua (ut modo dixi) reperiuntur papillæ nervaceæ, ut patet ex Anatomia comparativa brutorum ruminantium, Bovium &c. in quibus clare conspiciuntur. Tertia est tunica carnosa, fibras habens præcipue duplices: 1º. Orbiculares, suo contractu arctantes ventriculi amplitudinem. 2º. rectas seu longitudinales ventriculum juxta ejus longitudinem abbreviantes & contrahentes. Quarta & extima est tunica membranosa a peritonæo nata, quæ priores involvit, ordinat & vasa firmat.

Ex levi hac descriptione videamus ventriculum esse organon, quod gaudet fibris motricibus, & quantitate nervorum, quorum extremitates per ventriculi substantiam dispersæ, in ejus intima superficie prominentes, papillæ vocantur nervaceæ, uti in gustu, tactu &c. Hæ, ne ineptæ reddantur aut exsiccentur, liquore, Gastrico dicto, obrigantur. Fibris porro motricibus non frustra donatum esse ventriculum, patet ex motu, qui in ventriculo reperitur continuus, hic motus ventriculi dicitur peristalticus, vel serpentinus nonnullis, qui etiam pergit, assumptis alimentis, hoc motu enim ventriculi alimenta communiunt ac protruduntur, præcipue contractione tunicæ carnosæ: Talem esse motum ventriculi constat ex inspectione animalium vivide dissecotorum. Sic probavimus motum inesse ventriculo repleto, quem motum Appetitus non sequitur, ut experientia constat, atque postea patebit ratione. Non enim Appetitus oritur nisi aliquo tempore a pastu, hinc sensim sensimque excitatur, donec, vacuo ventriculo, plane vigeat. Quisquis enim facile ex antedictis percipiet, quantopere congruat Appetitus ratio, cum operatione sensuum externorum; in omni quippe sensu externo, extremitates nervorum debent affici non solum, sed & tanta debet esse vis attractus, ut totum netrum usque ad primam ejus originem moveat. Cum autem singulo-

rum sensuum objecta variant, illud tamen habent commune, ut moveantur eorum nervi, qui actus non male generaliore voce sensatio denominatur. Sic videmus in ventriculo duplum oriri effectum ab eodem perennante motu; repletus cum sit, commovet contenta alimenta, omnisque motus vis in ea exercetur, hoc in casu, papillae quidem afficiuntur, non vero in motum nervi ducuntur, quoniam cedentia alimenta diffluent, nec tanta vi in papillas impingere valent, qua nervi moveantur, ac si quis manu verberat modicè aërem, non sentit nimis debilem affectum, quem percipiet velocius mota manu; major ergo hīc requiritur vis, quæ tum oritur, quando vacui ventriculi latera in se invicem impingunt, atque sic efficacius papillas movent. Hæc si quis probata ulterius desiderat, esurientes consulat, atque videbit motum horum nervorum, luce meridiana clarissimū: Quid enim illud sibi velit? quod os habeant continuè saliva repletum, nisi ob motum majorem nervuli recurrentis tendentis ad pharyngem, ortum a motu majore nervorum paris octavi, unde major secretio salivæ: Quid illud? Quod animo linquuntur, nisi ob majorem motum nervulorum e pari octavo tendentium ad cor & pulmones, unde cor minorem recipit sanguinis quantitatem. Hinc patet desiderium assumendorum alimentorum oriri ex motu ventriculi vacui, (si enim plenus sit, latera ventriculi se invicem terere ac fricare nequeunt, sed motus ille illuditur ob minorem alimentorum resistentiam) quo papillæ nervaceæ laterum ventriculi se invicem fricant & terunt, qui motus papillarum nervacearum transit ad principium animale, atque ibi format ideam Appetitus. Sic meæ intentioni satisficeris reor, quō facilior nempe pateat ad ea, quæ de proposito dicenda sunt morbo, intellectus. Obiter solummodo attingam, quot modis vitietur Appetitus, & quomodo Appetitus Prostratus accipiendus sit.

Appetitus vario modo potest laederi, sc. augeri, depravari, imminui ac aboliri. De his autem hic loqui, animum non induxi, sed solummodo de Appetitu Prostrato, seu specie immuniti; qui potest considerari, tanquam morbus per se constans vel etiam alicujus morbi symptoma. Ab Hippocrate solummodo describitur sc. sect. vij. Aph. 3. Sect. vij. Aph. 6. &c aliis in

in locis, ubi dicitur ἀποστίη. Hic Appetitus Prostratus igitur, ut patet ex Appetitu naturali, est, cum illud desiderium ad sumenda alimenta sit imminutum vel abolitum.

En L. B. quid sit Appetitus, & quid sit Appetitus Prostratus.

Diagnosis patet per se, sc. ægri conqueruntur de inappetentia; hinc illam sicco pede transeo.

## Caput Secundum.

**P**Er pensa Appetitus naturalis historia, datoque prostrati Appetitus scheme, videndum est, unde hic oriatur, adeoque ejus causæ (diagnosin quippe nimis cognitam cum transilivimus) inquirendæ veniunt.

Ut concinno, quantum possumus, procedamus ordine, videbimus illam causam, sine qua Appetitus prostrati nequit, illamque unicam putem consistere in prohibito transitu motus papillarum nervacearum ad principium animale, ne sc. ibi formetur idea Appetitus. Quibus facile huic opinioni apponet calulum, si secum reputet omnem hujus functionis sensum deferri per nervos, ut supra probavimus, adeoque parum admodum, si differat, a sensatione sensuum externorum discrepare.

Hæc dum meditor, in duas causarum classes devolvor, prout sensatio in omni sensu impediri potest, vel quod motus non possit propagari, vel quod nequeat objectum ipsum organon tangere. Sub priorem commodissime referuntur classem, nervorum stomachalium abscissio, Paralysis, Papillarum nervacearum nimia rigiditas, vel nimia laxitas: Ad ulteriorem pertinet materia lenta, viscosa & mucosa, velamine quasi, calli ad instar, dictas obtegens papillas.

Has dum perscrutemur singulas, sua sponte dabitur occasio illarum & subordinatas investigandi causas.

Primo obvenit abscissio nervorum stomachalium, hæc (licet rarissime contingat) causa est Appetitus Prostrati, quoniam tunc

motus impactus papillis nervaceis impeditur permeare ad principium animale, intercepta quippe via, propter continui solutionem; casus hic admodum rarus cum sit, atque vix possit dari, vita sospite, cumque ex aliis phænomenis hisce similibus, rei veritas egregie elucidatur, non opus est, ut hisce diu multumque inhæreamus.

Transimus ad alium casum non minus rarum attamen non impossibilem, adeoque non ex nostra secludendum serie, Paralyfin nempe dictorum nervorum. Nemini, qui modo a limine Medicinam salutaverit, latere potest, nervum paralysii correptum munere suo destitui, hoc cum sit motus productio vel sensus, videmus hic in nervis illud negari requisitum, quo impactus in papillas motus per nervum deferri nequit, nempe spiritus animales. Ne aliis morbis nimium perlustrandis, longiore circumducamur ambagine, hunc casum sicco transimus pede.

Tertio, accusavi nimiam rigiditatem papillarum nervacearum; tum enim confictio laterum ventriculi nimium debilis est, quam quod papillæ persentiant motum: simile quid videre licet in gusto olfactuque, qui uterque sensus manifeste debilitatur immuniturque, organo, defectu requisitæ papillarum humiditatis, exsiccato: idem illud, eandemque ob causam, hic contingere, varia probant phænomena. Sic videmus senes multo minus appetere, quam juvenes; quamnam ob causam? nisi quod in senibus omnes partes solidæ sensim sensimque vi perennantis circulationis indurescant, atque hinc quoque minor humorum secretio, qua alias partium irrigata superficies lubricatur, humectatur, emollitur. Quid illud est, quod Appetitus hyeme, aestate plus vigeat? nisi quod aestivo tempore abundantior evaporationi penuriam humorum intus creet, ergo & liquoris nostri gastrici, qui humectationi harum papillarum admodum inservit, ut supra monuimus; docet hanc in illo tempore penuriam continuum potandi desiderium. Manifestum hujus rei exemplum habemus in hominibus longa fame affictis, qui tum denuo Appetitus vim persentient cum potaverint. Quis mecum hanc causam Prostrati Appetitus non adscribet iis, qui spiritus vini potationi atque aromaticorum commissationi nimium indulgent? quilibet veritatem hanc facile secum comperiet, dummodo spiritum

ritum Vini aut pura aromatica, imo primis labris, gustaverit, cum & hisce ilico notam hujus effectus imprimunt, sc. siccitatem, præ eximio suo calore, qua vi excretorios constringunt tubulos adeo, ut denegetur liquidum, quo emolliuntur papillæ, & præterea eas tantopere constringendo indurant, ut non nisi eadem vel majori vi possunt in actum duci; æque ac manus callo laboribus obducta leviora non persentit, vehementiori vero attactu afficitur.

Hæc putem sufficere ad probandum, rigiditatem papillarum Appetitum prostertere. Videamus quid illarum nimia laxitas producere valeat.

Ut motus Corpori solido impactus transferatur per illud totum, certo requiritur, ut ejus partes rigidæ aliis partibus totum integrantibus motum communicent, atque sic moto initio, penetrat motus ulterius ad subsequentes, ut videre licet præcipue in filis tensis quibusvis; sin autem nimia fluidi quantitas partibus tensis intercedat, sistitur & non propagatur motus, patet in musicis instrumentis fidibus instructis. Simili modo hic rem sese habere, experientia abunde docet in iis, qui aquosos potus avide hauriunt, unde Appetitus prosternitur; imo ex modica assumpta aquosi potus quantitate Appetitus vehementia hebetatur, uti cuivis secum experiri licet, si brevi ante prandium largum solummodo cerevisiæ assumat haustum. Hæc laxitas itaque provenit a nimia humorum aquosorum quantitate in ventriculo hærente; nimia hæc quantitas, vel extrinsecus advenit, ut in iis, qui potui aquoso nimium dediti sunt; vel ex nimia secretione salivaæ liquorisque gastrici, uti illud satis liquido constat in ptyalismo subjectis.

Vidimus per quas causas impactus motus non potest propagari, ut idea Appetitus oriatur: jam inquirenda venit causa, qua attactus papillarum illuditur, tale quid patitur tactus a callo; gustus ab incrassata & aëre exsiccata salivæ crusta; nostrum organon ab accumulatione materiae lentæ, viscidæ & mucilaginoſæ, qua papillæ nervaceæ obductæ affici ac fricari nequeunt, & si forsan invalescat ventriculi motus, potius confusus & nauseabundus exoritur motus, quam Appetitus. A variis causis mu-

cus hic oriri potest, ut a cibis crassis, viscidis ac pinguibus, illi enim per se nimis diu haerent in ventriculo, atque crustatum assident lateribus: Nimia crassities & visciditas humoris Gastrici: Nimia obesitas, tum enim totum corpus adeo usque repletum est, ut distenta repletaque vasa nihil amplius nutrimenti requirere videantur, hinc non tam facile, nec tam cito chylus distribuitur, illoque nimias in transitu trahente moras, retinentur ingesta in ventriculo nimis diu, quæ, hic calore motuque ventriculi compacta, facile lentorem relinquunt.

Præter has causas, varii morbi prosternunt Appetitum, quorum partem lubet attingere, licet alia non agant ratione, quam una aut altera prædictarum causarum: sic videmus Appetitum in febris, plerisque saltem, prosterni, quatenus in his multi humores subtiliores per corporis perspiracula avolant, unde penuria & minor secretio humorum per totum corpus, ergo etiam humoris gastrici in ventriculo, unde rigiditas papillarum: in morbis chronicis itidem, ut Cachexia, &c. quoniam ob visciditatem lentositatemque sanguinis & humorum, non secernitur liquor gastricus, unde rigidæ redduntur papillæ nervaceæ; vel etiam, quoniam humor adhuc secretus est nimis viscidus atque lentosus, ita ut muco obducatur latera ventriculi, unde papillæ nervaceæ affici nequeunt: in Hydrope sc. ascitide, duplarem ob rationem, 1º. quoniam humor gastricus non secernitur, determinatio quippe humorum est versus cavitatem abdominis, unde secretio aliis in locis imminuitur, ut hic in ventriculo; 2º. quoniam ventriculi fibræ relaxantur & madefiunt ab humore seroso in cavitate abdominis extravasato, unde demitur ventriculi tonus, i. e. ejus contractilitas: in Phthisi & Atrophia, ob defecatum humorum per totum corpus, ergo & hic: in Aphthis, duplarem ob rationem, 1º. quoniam saliva humorque gastricus hic non rite secernuntur, qui tamen admodum necessarii sunt, ad concoctionem promovendam & maceranda alimenta. 2º. quoniam ventriculi superficies interna, quoque non raro obducta est Aphthis, ita ut attritu laterum ventriculi papillæ nervaceæ affici & fricari nequeant. Tandem in Ptyalismo, ob salivæ abundantiam ejusque aquositatem, quæ si ingluviatur debilitat ventriculum, ejusque tonum demit.

Sunt

Sunt & forsan perpaucæ aliæ causæ Appetitus Prostrati, sed omnes ad modo dictas referri possunt.

Hæ sunt causæ primariæ & specificæ Appetitus Prostrati. Videamus jam, quid de ejus prognosi sit statuendum.

## Caput Tertium.

**V**ARIIS vidimus causis productum Appetitum Prostratum, qui iterum variorum morborum causa esse potest, ne dicam, omnium, cum sanitas, maxima ex parte, a debita sanguinis miscela dependeat, talis autem sanguis a debite elaborato chylo, atque hic rursum a debita comminutione alimentorum in ventriculo, quam in Appetitu Prostrato debilitatam demonstravimus. Antequam vero ad depravatam humorum ex alimentis constitutionem perveniam, Appetitus Prostratus quid immediate in ventriculo mali procreet, examini subjiciendum.

Homo ratione cum posteriora meditetur, atque cæco impietu ad capienda alimenta non feratur, tamen probe gnarus, vitam absque alimentis non diu posse trahi, obtrudit cibos stomacho: hinc illico præcordiorum anxietas, sudores anxii, nausea, imo vomitus: ex quaunque enim causa proveniat valetudo nostra; motum videmus ventriculi labefactatum, hinc cibi maxima ex parte, in ventriculo, requisitis suis qualitatibus agunt, vixque aliquid patiuntur: qualitates illæ in ore receptæ sunt masticatio, permixtio salivæ aërisque; his dotibus cibi in ventriculum dilabuntur, locum calidum, organon hoc in statu patiens. Hinc alimenta attolluntur, aucta aëris elasticitate in calore, inflatur expanditurque ventriculus debilis, premuntur viscera abdominis, tenditur Diaphragma, ejus motus impeditur abdominis visceribus haud prompte cedentibus, hinc circulatio sanguinis, per pulmones non satis ampliatos, molestata magis, majori vi ad corporis peripheriam premitur, hinc anxietas præcordiorum, hinc sudores. Interim non raro ructus vehementes, acidi, falsi, ex ruptura vesicularum ab aëre nimium expansarum,

quæ

quæ aciditas atque salsedo ab alimentis variis & putrefactis oriuntur; cum hoc modo aër expulsus est, collabuntur alimentorum partes, lapidis ad instar, premunt fundum ventriculi, eumque aggravant, & producunt nauseam & vomitum, affectus gradus tantum differentes; in nausea enim motus peristalticus incipit inverti, in vomitu plane inversus est. Habemus jam alimenta collapsa, quæ debent a motu ventriculi commoveri, comminui, propelli, hæc vero cum non fiant, saltem non satis, manent immota & aggravant ventriculum, sua gravitate eum tendunt, ab illa tensione tenditur Diaphragma, unde iterum anxietas; tenduntur & nervi stomachales, unde motus peristalticus (satis debilis) vi affectus invertitur, nam a nimia tensione hac tremor nervis inducitur, unde augeretur quidem motus peristalticus, sed cum motus ille non transeat æquali celeritate, per intestinalem tractum offenditur, atque loco offenditionis, vel debet plane sisti, vel inverti, uti hic fit; hæc inversio cum fiat, ulterius anguntur, ob ventriculi impulsum in Diaphragma sursum; & os aqua repletur propter tremorem totius tractus œsophagi & partium oris, nam ventriculi membrana interior nervosa continua est cum membrana obducente palatum, labia & reliquias oris partes, ita ut ille motus ventriculi convulsivus etiam pergit ad os, ibique illam moveat membranam; a motu majore illius membranæ, major secretio salivæ, unde os aqua repletum & crebra sputatio. Labium etiam inferius tremit, non tam superius, superius quippe habet in suffulcimentum dentes, ita ut adeo tremori obnoxium esse nequeat; inferius vero nullum habet suffulcimentum, & ni detineretur muscularis, sponte dilaberetur. Hic tremor oritur ab eodem motu majore & inordinato membranæ nervosæ ventriculi. Hic motus cum pergit, omnia tandem in ventriculo contenta rejiciuntur, donec evacuato stomacho, nervorum tensio itidem ablata sit.

Habes B. L. malum, quod, quasi a limine, nostrum adoritur ægrum, quem ulterius progressum tota infestabit morborum cohors. Demonstravimus antea efficaci ventriculi motu alimenta comminui, & in sua quasi primordia redigi, ut succus inde eliciatur aptus ad Corpus nutriendum. Hoc ut præstet officium, primario requiritur fluiditas summa, qua satis facile per subtilli-

lissimos Corporis tubulos possit permeare, atque eo fluidius liquidum est, quo minoribus constat moleculis; atqui motus ventriculi hic imminutus est, hinc non satis comminuuntur alimenta, ob minus efficacem attritum laterum ventriculi in se invicem, necessario exinde etiam oriri debet chymus crudus, ex chymo crudo, chylus crudus, qui ad mastam sanguineam allatus, eam reddit crudam, viscidam atque lentosam, non quidem illico permissione solum, sed cum continue talis ad sanguinem accedit chylus; observari enim licet in hominibus sanissimis, quod post pastum frigescant, nullam aliam ob causam, quam quod partes crudiores, (i. e.) non satis comminutæ, chyli, per corporis perspiracula ægre transcant, iterata circulatione, particulæ hæmagis subiguntur, atque cedit frigus, pulmones enim, qui solummodo hunc in usum fabricati videntur, ut novum accendentem chylum disstringant, comminuant & ad debitam subtilitatem elaborent, nequeunt solito crassorem chylum superare viribus solitis, itaque cum crudior intrat pulmones, etiam solito crassior ex iis egreditur, atque ulterior comminutio aortæ ramis committitur, atque omnis fere comminutio fit in extremis arteriis, tubulis subtilissimis, qui facile obstruuntur a particulis his crassioribus, donec ab aucta circulatione expelluntur & comminuantur; acceleratur hoc in casu sanguinis circulatio, quoniam minorem jam percurrit circulum, hinc citius itque reditque per cor, atque febrem producit majorem minoremve, ratione cruditatis harum particularum: Verum, perennante malo, denique sanguis repletur simili chylo, imo iterum atque iterum talis ad mastam sanguineam accedit, unde tandem sanguis plane oppletur particulis crassioribus, mucilaginosis, lentosis, hinc vis vasorum contractilis ob majorem resistentiam liquidi aliquatenus debilitatur, & massa sanguinea non adeo comminuitur, hinc humores a sanguine separandi crassiores, variisque in locis hærent & deficiunt, unde Cacochymia; & quatenus humores crassiores sunt, ut & lympha, quæ eam ob causam tardius movetur, atque sua vascula plus solito opplet, corporis habitus pallidus, tumidus mollisque appetet, Leucophlegmatiam præfert; & quatenus omnes secretiones hinc plus minutive patiantur, Cachexia oritur per totum Corpus, dispositio, qua plurimi,

si non omnes, morbi in corpore oriri possunt: hinc cum propter sanguinis tenacitatem spiritus animales non separantur, torpor & somnolentia; inde iterum motus automatici in corpore debilitantur, hinc respiratio difficilior, Appetitus ulterior prostratio, pulsus tardior, urinæ turbulentæ, crassæ: imo, ne singula enumeremus, quotquot sint in corpore secretiones vitiari queunt, tum qualitate, tum imminuta quantitate.

Sic vidimus quot quantasque hoc malum possit inferre calamitates, adeo ut ex diuturnitate mali, dirorum morborum prognosticum deducendum sit. Haec tenus autem consideravimus Prostratum Appetitum, tanquam morbum per se exortum: ast prout ab alia indispositione oriatur, variat prognosis, præbetque bonum vel malum signum in morbis. Sic Prostratum Appetitum in morbi initio bonum pronuntiat *Hippocr.* Aph. 32. Sect. ij. si in fine bene appetunt; denotat quippe dyscrasiam humoribus inesse, quæ motu febrii emendanda est; quod si tum novus chylus accederet, plus molestiæ afferetur vasis sanguiferis, quæ ægre aggregatam possunt superare Dyscrasiam, dum itaque illa intus debellatur, secretiones pro eo tempore cessant, atque adeo ab imminuta secretione liquoris gastrici, salivæ &c. deficit illud liquidum, quo alimenta macerantur, & quod adhucdum secernitur, nimis lento sum lateribus ventriculi adhæret, adeo ut sic imminuat Appétitus, prosternaturque; superata autem dyscrasia humorum, adeo ut massa sanguinea pristinam reperit fluiditatem, pedetentim secretiones restituuntur, inter eas & nostra; abluitur hinc prior mucus, latera ventriculi denudata, se invicem denuo fricantia, excitant Appetitum; adeo ut restitutus Appetitus tum annuntiet futuram sanitatem & morbum esse terminatum. Variis contra in morbis malum est signum, sic Venerandus senex Aph. 6: Sect. vij. In morbo diurno Prostratum Appetitum, & meracas dejectiones; itidem Sect. vij. Aph. 3. in longis dysenteriis; malum prædicat; & si tum febris accedit, pejus; imo in omnibus illis morbis, in quibus continua humorum jactura: id enim pro regula generali haberi potest in œconomia animali, si secretio in uno loco augetur, aliæ omnes, saltem una earum debet imminui: Si jam ea imminuantur, ex cuius emolumento omnes alias restitui oportet, perce-

ptu

ptu facile est corpus brevi pereundum esse. Huc si accedat febris, quæ comminuenda massa sanguinea subtilissimos humores per Corporis perspiracula expellit, jactura augetur, atque, accelerata ruina, lux vitæ occidit.

## Caput Quartum.

**T**Andem ad Curationem peruentum est, quæ rite peragi nequit, nisi omnes ejus causas habeamus probe cognitas, omnes quippe morbi interni, paucissimis exceptis, curandi sunt, ratione habita ad causas. Appetitus autem Prostratus, cum non raro Symptoma sit morbi alicujus, ipsum immediate non licet curare, sed potius istum morbum, cuius est symptomata: verbi gratia, si longis Dysenteriis Appetitus Prostratus superveniat, dysenteria curanda potius est, quam Prostrato Appetitui succurrentum, ut sc. nimia secretio in intestinis sistatur, qua ventriculus suo requisito liquido orbatur: atque sic in aliis morbis Appetitum Prostratum producentibus; adeoque in illis nostris affectus proprie praxeos non est subjectum. Sin vero idiopathicus est hic affectus, medicamenta immediate ad ejus causas dirigenda sunt, quas Cap. 2. enumeravimus. In transitu quasi adduximus *laesionem & paralysin nervorum stomachalium*; Casus hos rarissimos hic itidem sicco pede transibimus, priorem enim lethalem puto, posteriorem non minus, nisi corroborantibus & antiparalyticis restitueretur.

Tertio loco posuimus rigiditatem papillarum nervacearum, ex defectu humoris, uti salivæ, liquorisque gastrici, qualem casum observare licet tempore aestivo, longæ famis, in senectute &c. Verum hic medicus non advocatur, quoniam natura ipsa fibi medelam suppeditat, nempe potum, quo restituitur hæc rigiditas illico, & quo aquosior hic potus, eo melius hunc collimat scopum.

Sin autem a nimia quantitate assumpti potus generosi oriatur, regimen quoddam potius instituendum, quam vera medicina

exercenda; scopus curativus quidem id requirit, ut potu tenui & aquoso rigiditatem papillarum emolliremus, quo dictæ papillæ pedentem fierent magis sensiles, & ad pristinum redirent statum; sed cum tantopere suse jam consuetudini dediti sint, ut nequeant sese ab ea liberare, vel nolint; huc accedit quod debeat potum continue generosiorum sumere, quoniam a debiliore non afficiuntur, nec illuin persentiunt, hinc abhorrent ab omni medio, quo possent a suis deliciis avocari, sin consulatur medicus, omnem potum generosum debet abrogare, quod arte & ratiociniis melius, quam medicamentis peragit; eo usque si perventum sit, debet aliquid comedere, non sale adeo, quam quidem aciditate conditum, qua non solum optime papillæ afficiuntur, sed & blanda titillatione humor gastricus elicetur, quo papillæ irrigantur & alimenta melius macerantur, ubi salia magis adstringunt, atque effluxum illum inhibent: bibantque interim cerevisiam tenuem, ut primæ intentioni satisfiat. Hæc est istorum hominum cura, qua, si possint sese abstinere, vel velint, facile restituuntur, imo si fere fuerint cachectici.

Quarto loco accusavimus *nimiam flacciditatem papillarum nervacearum & fibrarum ventriculi*. Casum hic habemus cum præcedenti plane contrarium, adeo intentio hic plane contraria oritur; ventriculus quippe corroborandus est, nimia humiditas tollenda. Ratione corroborationis, medicamenta adstringentia, aromatica conducunt, stomachica dicta, ut Herb. absynth. agrimon. card. ben. centaur. min. puleg. ror. marin. salv. vinc. pervinc. Cort. aurantior. citr. granator. Flor. balaust. rosar. rubr. Rad. angelic galang. gentian. &c. Ex his varia decocta, ut: illud amarum Batheanum; pulveres, boli, ac vina medicata optime parantur: Huc accedunt aromata & varia composta in Pharmacopœis præscripta, ut: Cinnamom. caryophill. mac. nux moschat. piper eorumque olea, quibus saccharo addito in delicatulis elœosacchara præparari possunt: quævis spirituosa absque purgantibus admistis, vina adstringentia & corroborantia uti Rhenan. Rubella, pontac &c. Tandem conserv. rosar. rubr., absynth. mithridat. theriac. & varia alia præparata huc conducentia. Hic latus campus datur quarumvis præscribendarum formularum, atqui ex ingratis optime parantur vina medicata. v.g.

R. Herb.

- R. Herb. centaur. min.*  
*card. ben.*  
*absynth. a. Mj*  
*Rad. galang.*  
*gentian. a. ȝȝ*  
*Cort. aurantior. ȝ vj*  
*Cinnamom. acut. ȝ iij.*

incisa & contusa includantur facculo & affund. Vin. Rhenan. potius gallic. ȝ xx. macerentur per noctem prius, tum de his mane & vesperi æger sumat cochlear. interim ex dictis vel conditum, vel bolum vel pulverem grati saporis potest assumere v. g.

- R. Flor. balaust. gr. vj.*  
*rosar. rubr. ȝȝ*  
*Cinnamom. gr. v*  
*Sem. carui ȝj*  
*Elaeosacch. cinnamom. ȝij.*  
*F. Pulver. N°. iv.*

quos cum vino Rhenano vel Gallico binis horis potest assumere æger.

Sin autem a nimia secretione salivæ proveniat, alvusque aliquantulum adstricta solum sit, purgationem unam alteramve conducere putarem, ut secretio in alio loco aucta priorem sistret, diebus intermediis dictis medicamentis insistendum.

Tandem Appetitum Prosterni diximus a *muco obducente papillas nervaceas*, qui unicus ut auferatur, duplex oritur intentio curativa, sc. 1°. ut educatur ille mucus e ventriculo: & 2°. ut incidatur materia viscida.

Primæ intentioni satisfit medicamentis vomitoriis & purgantibus. Licet vomitoria varia prostent apud auctores & ab iis commendentur, pauca tamen puto sufficere medico, de quorum tutta operatione & infallibili certus esse potest, ut Rad. ipecacuanh. hæc in substantia usurpatur ad ȝj. Vel in infusione vini ad ȝj. sic & Fol. asar. N°. iij. vel v. modice in aq. cocta & expressa vomitum cient. Porro hic in usum veniunt Tartar. emetic. Vitr. antim. croc. metallor. (Ex his nihil melius præstat, quam Vitr. antimon., quod, meo judicio, tutissime semper vo-

mitum producit.) Hæc dari possunt in substantia ad gr. iij. sed minus caute, potius infundantur, ut & omnia vomitoria; si enim in substantia assumentur, vel nimis cito transeunt ventriculum, vel, reperto liquido, nimium vomitum producunt, quoniam tum extrahitur Tinctura, quæ a minima dosi, æque ac a majori, efficax redditur. Ergo tali modo præscribi potest vomitorium, unde satis abunde voment.

*R. Vitr. antimon. fructum. q. v.  
maceretur per noctem in vin.  
alb. gallic. ʒij. col. mane de-  
tur usui.*

Dependet tum major minorve vis vomitus ex majore minoreve quantitate liquidi, cui infunditur, eadem enim efficit Vitr. antimon. sive sumas gr. iij. sive ʒj. sive ʒij. &c. hæc methodus est tutissima: Regimen, quod debet servare æger, hoc est, assumat mane dictam colaturam, semperque præsto habeat aquam tepidam, cujus magnum haustum inglutiat, simulac sentiat jam oborientem vomitum, totiesque illud repetat, quoties vomitum sentit. Hoc modo vomitus ægro non adeo molestus, atque mucus vi vomitorii solutus, plus eluitur. Prostrat præterea sapia Vomitoria Sylvii, quæ formatur ex musto, quod exhalatione in massam reducitur pilularem, tunc ei additur Vitr. antimon. hæc sapia non semper in operatione sibi æqualis est, in nonnullis enim partibus nullum ineſt Vitr. antimon. adeo nullum vel non sufficientem præstat effectum, unde ægri absque fructu vehementissime cruciantur; in aliis nimium, adeoque tum vehementius agit, atque evacuatum ventriculum ingenti afficit cruciatu.

Licet vomitoria optime hic præstent, quod desideratur, nempe expellere mucum e ventriculo; tamen purgantia hic itidem conveniunt, imo quod si proprie non purgarent stomachum, quatenus motum peristalticum augent per totum tractum intestinorum, cum quo ventriculus continuus, unde mucus a laterum majori confrictione abraditur simul & expellitur in intestina; atque sic quasi per sequelam mucus hinc tollitur. Purgantia medicamenta varia varioque modo prostant: sic notæ sunt pilul. gummat. sylvii, pilul. Ruffi, Polychrestæ, Majernæ &c. extract.

tract. catholic. horum dosis est a 3j ad 3fl. His possunt addi  
troch. alhandal. v. g.

R. Pilul. gummat. sylv. 3j  
Troc. alhandal. gr. vij.  
M. F. pilul. v.

vel detur Ele&t. diacarth. diaprun. hier. picr. Galen. &c. quo-  
rum dosis est a 3j ad 3ij. Sunt & simplicia ut fol. senn. Rha-  
barbar. Aloë, Jalapp. Diagridium; hinc haustus, pulveres, bo-  
li possunt parari. v. g.

R. Fol. senn. mund. 3ij.  
sem. anis. 3fl.  
flaved. cort. citr. 3j  
coq. in s. q. aq. com. col. 3ij  
adde mann. ele&t. 3j  
F. Haustus.

Aromata adduntur, ut nauseabundum illud fol. senn. in-  
est, tollatur. Si velis pulverem, tali fiat modo.

R. Pulv. Jalapp. 3j  
scammon. ppt. gr. vi  
tartar. Vitriolat. gr. iv  
F. Pulvis.

Ut augeatur stimulus, salia his addi convenit, uti hic tartar. vi-  
triolat. His si syr. rosar. solut. c. senn. vel de cichor. c. Rheo  
q. f. addatur, fit bolus, cum vino vel cerevisia mane assumen-  
dus. Conducunt hic etiam medicamenta dubia, quæ vomitum  
& alvum movent, uti gumm. gutt. quod aliis immisceatur pur-  
gantibus vel præscribatur.

R. Extract. catholic. gr. xij  
merc. dulc. gr. x.  
gumm. gutt. gr. j.  
F. pilul. v.

Hisce huic intentioni satisfit.

Alteræ intentioni, sc. ut materia viscida incidatur, satisfit aro-  
maticis & amarescentibus quibus tonus ventriculi corroboratur,  
atque sic materia viscida deteritur & conteritur: Vid. hæc omnia  
in cura ventriculi debilis & flacci recitata. Ad hunc mucum  
incidentum porro prosunt salia alcalina & vitriolata, ut. sal ab-  
synth.

synth. card. ben. Tartar. Vitriol. Vitriol. martis & similia, quæ antedictis possunt immisceri, ac debent, ne salia partibus oris & cesophagi nimium offendant ex. gr.

*R. Sal. absynth. gr. xv.*

*vitriol. mart. gr. v.*

*clœsacch. anis. vel cinnamom. 3ij*

*F. Pulvis.*

Assumatur in vini cochleari, cum syr. rosar. siccata. Vel simili, & addito pulvere, v. g. pulv. card. ben. 3 $\beta$ . Fit bolus; alias aquosis permistus hic pulvis sub forma Haustus vel Mixturæ potest assumi.

En L. B. pro meis viribus historiam Appetitus Prostrati absolutam. De diæta, quoniam ægri nil fere appetunt, hic monere, animum non induxi. Attamen quoniam corpus nutrirī debet, ut homo perennet in vita, optimum, quo uti possunt, existimo, Jusculum e carne & Vegetabilibus elicatum; lac & similia, quæ facile transeunt in Chylum, & magnum afferunt nutrimentum; præcipue si addantur acida, quæ optime appetitum excitant.

F I N I S.